M0004100: Page from Chyrurgia Albucasim, Albucasis (Surgical Treatise, Al Zahrawi)

Publication/Creation

14 December 1934

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ys8ebgzn

License and attribution

Conditions of use: it is possible this item is protected by copyright and/or related rights. You are free to use this item in any way that is permitted by the copyright and related rights legislation that applies to your use. For other uses you need to obtain permission from the rights-holder(s).

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

opꝫ tunc amittere effusionem rei humide pinguis. Et amittas emplastra et sedeat in aquis que mollificant et humectant. Quod si fetus est secundum latus suum, tunc si possibile est ut equetur, tunc amitte quod diximus in fetu uiuo. Quod si non est possibile illud, tunc incide frustum et extrahe. Et oportet ut non dimittas aliquod ex secundina intus omnino. Cum igitur complebis operationem tuam, tunc amitte quod diximus ex curatione in apostematibus calidis que accidunt in matricibus. Quod si accidat fluxus sanguinis, tunc residere fac in aquis stipticis, et amitte reliquam curationem. Et quidem iam uidi mulierem in cuius uentre mortuus erat fetus, deinde impregnata est super ipsum uice alia. Postea mortuus fuit alius qui accidit ei post tempus longum, apostemata in umbilico suo et inflatum est donec apertum est et cepit emittere pus. Uocatus sum igitur ad curandum eam et medicatus sum ei tempore longo et non consolidatum est uulnus. Posui igitur super ipsum ex quibusdam emplastris fortis attractionis et exiuit ex loco os. Deinde post paucos dies exiuit os aliud. Miratus igitur sum ex eo quod uentre non sit os. Cogitaui igitur quod essent ex ossibus fetus mortui. Inquisiui igitur uulnus et extraxi ex eo ossa multa, mulier existente in melioribus dispositionibus suis, et iam uixit tali tempore longo, et mittit ex loco pus paruum. Et ego non firmaui hic extremum eius, nisi quoniam in eo est scientia, et adiutorium ad illud quod ministrat medicus artifex cum manu et curatione.

Capitulum septuagesimum septimum de formis instrumentorum que necessaria sunt in extractione fetus.

Hec est forma strictorii, forma uirgis qui aperit matricem que quando libera est cum est fit due uirgines in duabus extremitatibus duorum digitorum lignorum. Verum hec uirgo oportet ut sit subtilior strictorio, et fiat



aut ex ebano aut ex ligno buxi. Et sit latitudo omnis ligni quasi duo digiti et margo cuiusque amborum est quasi digitus unius. Et longitudo cuiusque eorum est palmus et medietas. Et in medio duorum lignorum sunt duo additamenta ex genere eiusdem ligni que iam firmata sunt in utroque utrisque quorum longitudo est medietas palmi et plus parum. Et ista duo additimenta intromittuntur in os matricis ut aperiatur cum eis quando tu reuoluis duas uirgines.

Forma alia ad simile illius subtilior et leuior.



Fiat ex ligno ebani aut buxi secundum similitudinem forcipum. Verum in extremitate eius sunt duo additamenta sicut uides. Et longitudo omnis additamenti ex eis est quasi palmus. Et latitudo utriusque est duo digiti. Cum igitur uis aperire matricem cum eo, tunc fac sedere mulierem super lectum pendentibus pedibus eius aperto quod est inter crura eius. Deinde intromitte ista duo additimenta coniuncta in matricem. Et tu es tenens extremitatem instrumenti inferius inter coxas eius. Deinde aperi manum tuam cum instrumento sicut facis cum forficibus equaliter secundum quantitatem qua uis ex apertione oris matricis donec faciat obstetrix quod uult.

Forma uirginis alterius quam dixerunt antiqui.



Forma impellentis quo impellitur fetus.



Forma almisdach quo extrahitur caput.